B Roberg, L.
1732

ROBERG, L.
====== =

De Libella insecto lacustri & alato.
resp. P. Leetsroem.

pp. 1-11.
figuren.
Upsalae, Typis Wernerianis. 1732.

7 7412 000018115

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO PHYSICA

DE LIBELLA INSECTO LACUSTRI & ALATO,

Quam conſenſu Ampl. Fac. Med. in Acad. Upſal.

PRÆSIDE Experientiſſimo & Ampliſſimo VIRO

DN. LAURENTIO ROBERG

Medic. Doct. Theor. & Pract. Profeſſ. Ordin.

Publico Eruditorum examini modeſtè ſubmittit

Alumnus Regius

PETRUS LEETSTRÖM Vermelandus.

In Audit. Guſtav. Maj. ad diem Junii MDCCXXXII.



UPSALIÆ, Typis WERNERIANIS.

Nederlandsche Entomologische Vereeniging

CONTENTA.

ANimalium generalis & ſumma diviſio. Inſectorum præcipuæ claſſes. p. 2. LIBELLÆ *ubi reperiantur.* VOGHALSAR *quid. Qua ratione capiantur. p. 3. Quid in iis ſpectetur. Unde inſectorum Sonus vel Vox. Libellas ſervari vivas poſſe. Quomodo papiliones venentur. 4.* PUYSTEBYTER *quid. Inter chartas reponi poſſunt æque ac in herbariis vivis plantæ. Quomodo integræ ſiccandæ & condiendæ. p. 4. Quomodo rite delineandæ. Qui optimè eas delinearunt. 5. Libellæ anatome, Pedes, Oculorum bulbi, Cornicula quibus prætentat objecta. Mandibulæ.* FRÆSS-TAGGAR. *6. Genitalia organa. Cur ea propendeant maſculis animalibus, cur femineis occultentur. Libellæ Ovarium 7.* ROM & MIöLKE. *Servari Libellas aquaticas poſſe in ampullis cryſtallinis, ut ſpectentur. Libellæ mira metamorphoſis. 8. Ejus delineatio ex ſuo exuvio prorepentis. Quot harum genera nobis innotuerint. Vermis Libellæ gracilioris alvi ſive teretis.* EEN SPINKRUKUG LIBELLA WURM. *a. pars prona. b. pars ſupina. pag. 9. Vermis Libellæ ventricoſæ ſive latioris alvi.* EEN BREEDBÆLGUG LIBELLA WURM *c. pars ſupina.* på Ryggen *d. pars prona.* på Buken. *Vermis Libellæ tenerior Swammerdamii,* HET WORM POEPEKEN *c. Idem adultior f. Libellæ inſigniter coloratæ p. 10. Mares ſpecioſiores eſſe femellis. In avibus ſylveſtribus plumarum colores non mutari, ut in domeſticis. Coëundi ratio in libellis. p. 11. Generationis opere peracto perire libellas omnes. Nec ultra hyemem durare.* PERLÆ DEMOISELLES *dictæ, Cl. Hombergii. pag. 11.*

I. N. J.

DE LIBELLA

INSECTO LACUSTRI & ALATO

§. 1.

ANimalia ſangvinea reliquis perfectiora putantur, quoniam ad corpora noſtra accedunt propius. Hominem utique pro perfectiſſimo mortalia inter cenſeri & decet & expedit. Exſangvium vero illa inprimis rudia maxime ſunt & inpolita, quæ nos *PLANTANIMALIA*, Ariſtoteles *ZOOPHYTA* nominavit. Quamquam & in vegetabilibus vitam agnoſcere & mortem debeamus, vel vitæ ſaltem aliquid analogum. Exſangvia autem majora pleraque ſunt aquatica. *BLO-LOESOR* ea appellare liceat, Belgarum more, qui ea ipſa *DE BLOEDELOOSE DIERKENS* dixere. Secundum Ariſtotelem, in diſtinguendis ſingularibus ordinandisque admirabilem inter Scholaſticos Doctores Virum, vel mollia ſunt, ut Sepia & Polypus, vel teſtacea, ut Oſtrea & Cochlea: vel cruſtacea, ut fluviatilis & marinus aſtacus, *MALAKIA*, *OSTRACODERMA* & *MALACOSTRATA. BLOET-HYLTE, HORDSKALIGE, SKORP-KLÆDDE.* Animalia autem exſanguia minora *INSECTA* dicuntur, quoniam inciſura

habent aut in partibus ſupinis aut pronis aut in utrisque. Ariſtoteles *ENTOMA*, nos *SKUROR* dicimus, quæ & vulgo dividimus in reptilia & volatilia. *SKRE-FAE* & *YHR-FAE.* Teutonibus *KRIECHENDE* & *FLIEGENDE GEWURME* dicta. *KRÆK* & *FLUGOR.* Neglecta quidem plebi & contemtim habita, ſed docilibus tractata conſideratius & quaſi quædam rudimenta cuncta architectantis naturæ. Philoſophus itaque accuratius illa diſtribuit in *APODA, O-FOTADE* ut ſunt: terreſtres Lumbrici, quorum cohærentia inter ſe paria ſub auroram deprehendi ſolent, & aquatica Hirudo. *MEET MASKN* & *SUUG-IGELN.* Et pedata, hinc expedita dicta, *FOTADE.* Eaque alis deſtituta, *APTERA. O-VINGADE.* Ut ſunt, ſenipedes Pediculi, lendium progenitores & ſaltatores Pulices, inimica puellis lues, ut habet Ovidius. Et Aranei multoculi & inſuper octipedes, ſua ex ſemetipſis retia fingentes, & quatuor decim denique pedibus inſtructus Oniſcus ſive aſellus. Alata autem ſunt pennis nudis & detectis *ANELYTRA*, *BAAR-VINGADE.* Ut curioſa & bipennis Muſca, & quadripennis farinaceus Papilio, & Apis favificans parca & ſedula. *FLUGAN*, *FAERILEN och BIJET.* Vel pennis ſunt vagina tectis, *KOLEOPTERA SCHIDEVINGADE* ut ſuas averſis pedibus e fimo pilas volutans Scarabæus, Danis in *SKARNBASE* verſus, Hippocrati *KOPRIONA* dictus. Et ex orbe novo allata tingendis purpuratorum pannis Coctionella, & cauda noctu lucente cicindela ſive Lampyris alata. Mas ſcilicet, fæminæ enim reptiles ſunt & alis carent. *FEWR-KAEFR. GLO-MASKAR, ILLSTIERTAR.* Sed hæcce ordinata plenius, Ben. Lect. ſi placet, apud Joh. Raijum reperiet & Gvalterum Charletonum & Svammerdamium et horum ſequaces.

§. 2. Eſt autem inter alata inſecta, alis ſcilicet nudis membranaceis, & quadripennia & non favificantia, ſpecioſum quoddam genus, quod quoniam corpus alas inter librare quaſi videtur *LIBELLARUM* nomen accepit. In Suburba-

banis hortis interdum, ſed ſingulatim; ad lacuum autem noſtrorum arundineta & herboſas amnium ripas frequentes ſpectantur. Rarius autem commixtæ inter re diverſæ volitant, nam ſunt earum plura & diſcrepantia genera, ſimilium ſocietate delectatæ ſimiles ut plurimum congregantur. Volatus earum pernix eſt veluti hirundinum eſſe ſolet, hinc *VOGHALSAR* dictæ. Nec facile niſi cum alicubi reſederint, capiuntur. Solent enim aliquæ circa meridiem ſtipiti forte inſidentes interquieſcere. Unde proverbium, prandendi tempus indicans: *La Perla va à ſtichi*, Italis in uſu refert Charletonus in Onomaſtico Zoico p. 39.

§. 3. Nos circulum e virgulto flexibili nobis confecimus, cui ſuperinduximus rete lineum tenue adaptatoque manubrio, hac veluti funda portatili, volantes etjam libellas perſequentes, irretitas oppreſſimus cepimusque. Alas captarum complicatas inter libri alicujus folia ſic reponimus ut corpus reliquum integrum promineat, colligatoque libro ne rurſus poſſint elabi, ſupinas otioſe ſpectamus, oblongam alvum incurvantes fruſtra & pedibus verſantes & mandibulas quas plures habent in ore reconditas, ad mordendum expedientes. Alvum per ſyſtolen quandam & diaſtolen movent periodice, non aliter ac quibus cum anhelitu frequens eſt & crebra reſpiratio; ſtridorem etjam edunt levem, contremiſcentia haud obſcura corporis, nam vocem eas emittere haud mihi perſvaſerim. Docuit enim me Vir ſummus Jul. C. Scaliger in Comm. Hiſt. An. Ariſt l. 4. Apum murmur ex eo " provenire, quod attollentes ſe, dilatent alas, mox contra " hant, itaque aër interceptus eliditur. Additque ſequentia: " Pueri regulam lineam appenſam funiculo, circumagentes " ſonum mirum edunt. Sic membranam ſi ventiles ſonum edes: " Sic aër ſectus a membranaceis muſcarum alis ſonat: a papili " onum alis non item: molliſſimæ enim ſunt. a crabronum a- " lis grandior: duriores enim ſunt: a Scarabæorum vaſtus: " cruſtaceæ enim ſunt; a culicibus tenuis, acutus, anguſtæ "

„enim ſunt. Libella autem in hac ſua captivitate & recrementa excernit, & ovula, ſi fæmella fuerit, & ex majore genere. Altero autem, ut plurimum die extinguitur, collo obtorto, cruribus compoſitis contractisque.

4. §. In cænaculis & muſeis, inter feneſtras duplices ſervari Libellæ vivæ poſſunt, ſed alendæ muſcis & inprimis papilionibus, quorum ſunt appetentiſſimæ. Nam & capta licet & alis digitos inter retenta libella, papilionem ad motum ſecure dilacerat. Non inamœna ſunt quæ habet recens de inſectis ſcriptor, Reg. Berolinenſis ſocietatis ſcientiarum Socius Joh. Leonard. Friſchius, Tomo octavo pag 14. Man kan in einen hellen Saal eine jagd damit anſtällen / wie mit einer Reiger beitze / dan die Libella fängt die Papilionen ſonderlich die weiſen die man nebſt ihnen dahin bringet / in der Lufft weg / hält ſie mit den fördern füßen feſt und läſt ſie nicht fahren. Ich habe ſie ſamt der häute auff die hand geſetzt / und zugeſehen / wie ſie die ſelbe mit ſtieffel und ſporen auff-friſt. Utcunque itaque huic animalculo ob mordacitatem inditum a Belgis nomen fuerit *PUYSTE-BYTER*, a puſtularum & appetendi vocibus; tamen morſus hoſce venenatos plane eſſe, adhuc exploratum non eſt, præterquam quod omne genus inſectorum acri ſale volatili abundet. Potius humano uſui inſervire hactenus Libellas ex eo conſtat, quod venatione jugi papilionum, eorum etjam fœturam intercipiant, olitoribus inviſiſſimam.

§. 5. Aſſervari autem Libellæ inſectaque ſimilia poſſunt eodem modo quo plantas in vivis herbariis ſolemus, eas ſc. inter bibulæ chartæ folia opprimendo & ubi prima, hac ratione fæculentia diſceſſerit, poſtea glutine quodam aridas exuvias albæ chartæ affigendo, ut ſic ſpectari cum libuerit & delineari poſſint. Diſtinctius tamen & explicatius animalculi membra ſervantur, ſi transfixum acu in ſcatula ſiſtitur, & affuſa gutta olei abietini, balſamico quaſi ungvine conditur, ne arefactum præ fragilitate dilabatur. Sed picturæ accuratæ ad memoriam diutiſſime durant, quales ſunt quas de-

de-


dere excellentes artifices Wenceslaus Hollar ex Arundeliano muſeo Anglico, & Hœfnagelius, Svammerdamio laudatus ob decem genera libellarum expreſſa, cum Gœdartius in ſuo magno opere non niſi genus unicum adnotaverit. Expediret autem ut vel pictores, de quibus inter ſe diſceptant anatomici, perſpecta ſibi haberent, vel proſectores ipſi medici, qui hiſce inquirendis vacant, non eſſent artis pictoriæ plane rudes. Hinc enim factum eſt ut inter innumeras in tribus regnis minerali, vegetabili, animali delineatas figuras non niſi paucæ ſint quæ pro genuinis probisque haberi merentur. Quibus tamen acquieſcere tirones non debent, ſed ſeſe ipſos exercere potius ad res ipſas quas ante oculos habent, adumbrandas exprimendasq; quibuscunque id fieri compendiis poſſit. Svammerdamii interim methodus perfectiſſima merito habetur, qui & intellexit quæ depingere voluit & exilia viſumque fugientia microſcopiorum ope primus dilucidare aggreſſus eſt. Ut vel Ephemeri deſcriptio luculenter probat.

§. 6. Libellæ ſupinæ, alis, ut diximus in libro clauſo retentis, pedes primum evellere convenit. Hi ſex ſunt, anterioribus tanquam manibus, caput & oculos purgat, poſterioribus alvum verſat gracilem & prolixam. Pes quisque componitur ex crure duplici perbrevi & longo, tum tibia una ut & ſimplici pede ſed cum articulatione duplici, anteriore armata duobus exilibus ungviculis incurvis.



Os femoris longius ut vocant, una cum tibia, ſerie duplici ſetarum vel perbrevium pilorum munitur a latere inferiore. a. b. Lårbenet. b. c. Knäbenet. c. Hälen. c. d. Footplattan. e. Kloen. Caput pectori adnectitur collo pertenui, vaſculis exiliſſimis conſtante. Sed oculorum ingentes utrimque duo bulbi partem capitis maximam conficiunt. In quibus relucent quædam in vivo adhuc animali, quæ deſcribi verbis nequeunt. Ex innumeris quaſi ſpecularibus rhombis conſtant, & ut Cl.

Friſchius habet aus ſpiegelrauten oder geſchobenen gitter-Vier-ecken. In horum itaque bulborum magna ſuperficie ſi repræſentantur objecta, non mirum exinde percelli hæcce animalia & ad celeres volatus inſtigari, cum præda quam appetunt, viſum eorum non facile effugiat. In uno libellarum genere hi bulbi ſuperne ſe contingunt fere, in aliis generibus quiddam interponitur. In fronte duo ſunt, quæ protuberant, exilia cornicula, quorum ope prætentat animalculum proxima quæque. Die Fühl-hörner/ vertit Cl. Friſchius, quaſi diceres, *KIÆN-OTR.* Conſtant ex quinque particulis, globulo ſc. inferne, & quatuor ſenſim attenuatis & in acumen deſinentibus articulis. Id ſenſationis organon, hiſce, utet inſectis aliis plurimis, narium loco a natura datum eſſe crediderim. Os autem ex plurimis partibus conſtat & primum quidem, inferior mandibula immobilis eſt. Sed ſuperna movetur, & utrimque prodeunt duæ cuſpides, inter vorandum mobiles. Zwey freß-ſpitzen. *FRÆSSTAGGAR.* Adeſt & aliud par mandibularum inferne, quo prædam mordicus tenet. Das Klauwen gebiße *a* vocat Friſchius, a & ſuperne par aliud, quo dilacerat, das Zahne-gebiße *b* b Imponenda enim ſunt rebus novis nova vocabula. Dorſum humeris duobus conſtat & ſcapulis totidem.



Alvus longa inferne inciſuras habet vel articulos, quibus plicatur & flectitur, ſex, ſuperne ſeptem.

§. 7. Uterum libella fæmina in alvi extremo geſtat, maſculus ſua genitalia proxime infra thoracem recondita habet, mira in ſexu utroque & inſolentiſſima conſtructione. Cum enim in grandioribus animalibus, organa maſculina, vigore quodam naturæ propulſa eſſe videantur, in primordiis conformationis fœtuum, extra ventrem: dum in ſequiore ſexu nil quidquam propendeat, ſed intus condiantur, tum teſtes ipſi, tum quod eorum ſi propenderent, involucrum foret; hic contra, intra pectoris terminos conſiſtunt in maribus viſcera quæ in fæmellis ad extrema usque ſeſe exporri-

rigunt. Sed de hiſce cuique ut libet ſentire liceat. Appoſitæ autem in extremo appendices, eodem inſerviunt uſui; cui remiges dictæ pennæ in volucribus. Als ſteur, ruder im fliegen. Unci autem duo ſunt quædam quaſi retinacula. Häll-faſtar. und dienen ihnen im gatten ſich fäſt zu halten. Svammerdamius ovarium in Libella duplex delineat, p. 18. Tab. 8. additque: haer eyerſtock komt met de knyt van de fiß geheel owr een beſtaende nyt Saadekens dee langwerpig van makſel ſyn. Piſcium enim ſexus Belgis per *KUYTERS* en *HOMMERS* exprimitur. Noſtris *ROMMAR* & *MJOELKAR* dicuntur. Poſteriores Gallis, des poiſſons laités. Quanquam & Belgis per *ROGGE* ſignificetur. De zaet wan een Moederfiſh. quod ad Iſlandorum *HROGN* & Anglorum *THE-ROW of a fish*, accedit propius, ut habet Gloſſarium Sueo-Goticum Haq. Sp. 376. Sunt autem ovula ventri coſis libellis, oblonga. *DE BREEDBÆLGUGE.* Quod nec Cl. Friſchium latuit. Die breitleibige legen länglichte eyer. quæ ovula, ut matureſcunt, matres aquis ſingulatim committunt, arundinibus ripariis vel feſtucis forte aſſidentes. Sed cum libellis gracilibus, *DE SPINKBUKUGE*, die rundleibigen, res aliter ſe habet, quarum ovula exilia & rotunda ſunt, excretaque agglutinantur ſtatim alvinæ membranæ: eaque libella ſecum circumfert, æque ac fluviatilis aſtacus ovula ſub ſua cruſtacea & incurva cauda. Cum autem oneri eſſe cæperint Libellæ, ſolvit eadem, intincto aquis corpore abluitque. Et tamen ita negligenter rejecta, excluduntur providentia naturæ, ſub ipſis aquis in animalcula nova.

§. 8. Hoſce libellarum fœtus ſive vermiculos, diſcrepantes utique inter ſe, prout matrum genera fuere, Svammerdamius vocat: Wormpoepekens daer dee Punſtebyter haer verſ·ronk uyt neemen. Hi autem adultiores facti, capi ſi libuerit poſſunt, ſed in ampullis cryſtàllinis, ut perſpici eo facilius cuncta queant. affundendaque eſt aqua fluviatilis recens ſubinde, alioqui brevi pereunt. Plurima certe jucundo


ſpectaculo animadvertere ſic licet: primum enim acuto viſu in ipſis aquis pollent: inſperſæque farinæ micas, etjam dum ſubſidunt, agiliter captant, injectosque vermiculos exiliores vorant. Sed eorum inprimis reſpiratio memorabilis eſt: aquam ſc. ut aërem aërea animalia hauriunt rejiciuntque reciprocatione æquali & manifeſta ut aqua ipſa commota gyros faciat & vortices & limus in vaſis fundo hærens forte, longiuſcule propellatur. Cum vero tandem exuvia ultimum deponenda eſt, quod Belgis: het Vlies, *en het vervellen* dicitur; Germanis Sich hauten & die verwandlung Hylße/ die wurmhaut/ die Scheide. Tum prorepit ex aquis animalculum dimidiato corpore, obvio alicubi objecto adnitens & fracto circa dorſum integumento ſeſe membraq; ſua tanquam e vagina expedit, extricatq; alæ complicatæ, obrigeſcentibus ſenſim a contactu aëris, fibris explicantur tenduntur que.



Neque morata diutius Libella, novam jam & connubialem ſub elemento novo vitam orſura, uda adhuc & tenera avolat; pellucidas certe harum Libellarum relictas in ripis exuvias videre ſæpiuſcule licuit.

§. 9. Svammerdamius Libellarum genera ſeptendecim à ſe collecta refert. Novem ſcilicet primæ magnitudinis, quinque intermediæ, triæ minimæ. Vermicularis vero nymphæ *HET WORM POEPEKEN*, ſic enim vertit, genera ſex habet, unum é majoribus, e mediis tria genera. e minimis duo. Sed Scheuchzerus in der Naturwißenſchaft cap. 37. de Exſanguibus, hoſce, embryones Dattel kerner vocat, minus reſtive. Friſchius ſimpliciter, den Wurm. additque Svammerdameanis duas, alteram latioris alvi alteram teretis. Quas ordine hic omnes a nobis adumbratas adponimus. Ne-

Neque enim Lect. benivolo harum fortè minutiarum per otium curioſo, hac diſſertatiuncula noſtra præterquam indicis eſſe loco cupimus. Natura ipſa hic adeunda eſt reverenter nec e longinquo, ſed cominus obſervanda, num quid fortè ex ſuis infinitis arcanis revelare nobis dignetur: non autem phyſicorum acquieſcendum ſcriptis. Poterunt quidem Ariſtoteles ac Plinius, & qui in eos ſunt commentati, ut & qui hodie novæ inventores philoſophiæ videri geſtiunt, excitare curioſitatem noſtram, ſatiare eandem utique non valent. Proferre interim poſſum unam libellam alteramve, diſcrepantem haud obſcurè a deſcriptionibus clariſſimorum auctorum; fortè quod in hiſce animalculis, ut in plantis rebusque aliis, locorum, aquarum, aërisque diverſitas, mutationem quandam adferat. Neque enim quæ de novi orbis inſectis depicta habet Merianum opus recens, hactenus videre mihi contigit.



§. 10. Ut autem poëtæ fabulantur adultam Venerem e maris profundo emerſiſſe longè venuſtiſſimam, ita &

hasce

hasce minusculas Nymphas, procreationi maturas jam, lectiſſimis pictas coloribus, e ſuis udis latebris prorepere in apricum videmus. Sive ut ſolent in magnatum familiis, ſervi, pediſſequi, pueri nobiles, veſtibus diſcoloribus, limbis variegatis ac intertextis auro argentoque internoſci, med galonerade Liberier / eodem modo & hancce Najadum turbam non uniformiter veſtitam habemus; ſed partim cæruleo vireſcentem, partim notatam ſtriis flavis vel rubeis vel griſeis vel puniceis, præſertim e majore genere: imo minores Perlæ dictæ, ita ſunt diſcolores inter ſe, ut ne quidem id verbis facile exprimatur. Minorem libellam ſervo, auro ſplendentem, cui ſuper inducta eſt levis viriditas: glaſerat grönt under een gull-grund. Ejus vero femella, nam conjunctim capiebantur, ex flavo fuſca eſt, itidem ſublucente auro. Habeo & ex eo genere, quod deſcripſit Cl. Hombergius in Pariſienſium Actis, in quibus ſplendet concolor violacea tinctura. *D'une Couleur violette luiſante.* Femellæ earum utcunque griſeæ ſunt & aureæ ſimul. *D'un gris doré luiſant, tirant ſur le verd.* Alas autem hoc genus in altum ſublevatas, conjunctasque gerit, non ut libellæ reliquæ ſolent, lateraliter in formam crucis extentas. Maribus etjam alæ macula violacea inſigniuntur. Femellæ ſine macula ſunt; ſicut & in omni genere avium, mares ſunt ut plurimum coloratiores femellis ſpecioſioresque, idque conſtanter in ſylveſtribus, in domeſticis, cauſa haud obvia, mutabiliter.

§. 11. Ne autem multa hic accumulem, quæ reſtant abſolvam paucis. Congreſſusque libellarum aëreos brevibus deſcribam: nam id ante hac tradidit venuſte & prolixe Svammerdamius, nec minus eleganter, quem ſupra nominavimus Cl Hombergius. Nimirum hæcce animalia ut cuncta alia, ventri maximam partem obedientia & proletaria natura fingit. In hos fines unum quodque ſuum ſibi ingenium, ſuos ſibi mores formare videmus. Sed

Sed Ben. Lectori hæcce quemadmodum & reliqua indicaſſe ſufficiet. Primum folio alicubi femella aſſidet immobilis feré, quaſi præſtolatura procacem. Dum maſculus interim volatu continuo ſociam inveſtigat, inventam arripit. injectis capiti ejus uncis pag 7. deſcriptis, ſubitoque avolans, per aëra captivam poſt ſe trahit; incertum an invitam, neque enim duci ſuo reluctari videtur. Is autem nactus inter folia alicubi commodam ſedem, torquet femellam eo modo quo ex delineatione Cl. Hombergii hic adumbramus. Sed poſt tria fere minuta temporis, pectoris ſui partem cui adhæret jam altera, vi quaſi avellens repente & ex improviſo maſculus, ſimulque relaxans femellæ caput quod tenuerat hactenus, avolat. Illa libera jam, tamen eodem loco vel per horulæ dimidium ſtupida ſedet. Cl. Friſchius ſuccinctè pag. 24. Dieſe ſeltzame parung iſt wo nicht allen doch den meiſten gemein.

§. 12. Ut autem eſt inſectorum omnium exiguum curriculum vitæ, bombycibus non exceptis, licet veſtium bombycinarum textoribus primis; mellificantium etjam apum perbreve ævum eſt, maſcularum ſaltem, femella enim ſoboli educandæ deſtinata durat diutius, plantarum denique pars maxima nonniſi annua: Ita & libellas hasce noſtras, ſpecioſas licet vegetasque adventante bruma perire omnes credibile eſt, poſteaquam ſcilicet aquis unde promanarunt ipſæ, ovula ſua concredidere, in ſpem quaſi reſurrecturæ poſteritatis.



* *

WE all are creeping worms of th' earth
Some are Silk worms great by birth,
Glow-worms ſome that shine by nichth'
Slow-worms others apt to bite,
Some are Muck-worms slave to wealth
Maw-worms ſome that wrong the health,
Some to the publique no good willers
Cancker-worms and Cater-pillers.
Round about the earth wear' crawling,
For a ſorry life wear' ſprawling,
Putrid ſtuff we ſuck it fils us
Death than ſets his foot and kils us.

Mouffet, de Inſectis L. 1.

61757